

Sancti Hannibalis Mariae, presbyteri et fundatoris

Liturgia Verbi

- LECTIO I: **Ez 34**, 11-16.31 «*Sicut visitat pastor gregem suum, sic visitabo oves meas*»
Haec dicit Dominus: Ecce ego ipse requiram oves meas...
- PS. RESP.: **Ps 22**
R/. Dominus pascit me, et nihil mihi deerit
- LECTIO II: **1 Cor 9**,16-19.22-23 «*Vae mihi est, si non evangelizavero*»
Fratres: Si evangelizavero, non est mihi gloria...
- ALLELUIA: **Io 4**, 35-36: Levate oculos vestros et videte regiones quia albae sunt ad messem!
Iam qui metit, mercedem accipit et congregat fructum in vitam aeternam.
- EVANG.: **Mt 9**,35-38 «*Messis quidem multa, operarii autem pauci*»
In illo tempore : Circumibat Iesus civitates omnes...

ANT. AD INTROITUM

Cf. Io 10, 14-15

Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus,
et cognóscō meas; et cognóscunt me meae,
et ánimam meam pono pro óvibus.

COLLECTA

Deus, spes humílium, refúgium páuperum patérque orphanórum,
qui sanctum Hanníbalem Maríam, presbýterum,
insígnem apóstolum pro vocatióibus rogándis elígere voluísti,
eius intercessióne, mitte in messem tuam dignos operários Evangéllii,
et fac ut, eódem moti spírítu caritátis,
in tuae et próximi dilectióne crescámus.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Súscipe, quaesumus, Dómine, múnera quae tibi offérimus
et concéde nobis ut, exémplo sancti Hanníbalis Maríae,
qui, zelo tui amóris succénsus,
páuperes parvulósque pavit pánibus vitae,
perféctae caritátis sacrificium
cum altáris oblatióne coniúngere valeámus.
Per Christum.

ANT. AD COMMUNIONEM

Cf. Mt 9, 36

Videns autem Dóminus turbas,
misértus est eis quia erant vexáti et iacéntes
sicut oves non habéntes pastórem.

POST COMMUNIONEM

Sacraménta quae súmpsimus, Dómine Deus noster,
in nobis fóveant desidérium salútis hóminum
quod sanctum Hanníbalem Maríam inflammávit
et concéde, ut vocatióne nostra digne ambulántes,
promíssum bonis operáriis praémium cum eo consequámur.
Per Christum.

PRAEFATIO

De miserationis Boni Pastoris ministerio

V/. Dóminus vobíscum.

R/. Et cum spírítu tuo.

V/. Sursum corda.

R/. Habémus ad Dóminum.

V/. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R/. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutáre,
nos tibi semper, hic et ubíque grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens aetérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ad cuius Boni Pastóris imáginem confórmem,
sanctum Hanníbalem Maríam
exímium miseratiónis Filii tui turbae minístrum fecísti.

Hic verus praeco Evangélii,
qui, praecépta mémorans Magístri,
pro messe tua indesinéter rogávit operários.

Hic firma sémita providéntiae,
qui, curam consúmens in órphanos,
vultum tuum osténdit consolatórem moeréntium.

Hic fidélis amátor páuperum,
qui, manus exténdens ad ínopem,
íisdem óstium pandit caeléstis gáudii.

Propter quod caeléstia tibi atque terréstria
cánticum novum cóncinunt adorándo
et nos cum omni exércitu Angelórum
proclamámus, sine fine dicéntes: